DIEM SACRUM

AB S. LUDOVICI NOMINE

NUNCUPATUM

IN HONOREM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI

LUDOVICI III

MAGNI DUCIS HASSIAE ET AD RHENUM

CIVIBUS

ACADEMIAE LUDOVICIANAE

OMNI QUA PAR EST

OBSERVANTIA ET REVERENTIA

CELEBRANDUM

RECTOR CUM SENATU

INDICIT.

INSUNT EDUARDI LUEBBERTI COMMENTATIONES SYNTACTICAE. PARTICULA I.

GISSAE.

TYPIS OFFICINAE BRUEHLIANAE ACADEMICAE (FR. CHR. PIETSCH).

MDCCCLXXI.

Commentatio prima

De structura participii perfecti passivi pro substantivo verbali positi.

Caput. I. De locutione: *provincias decretas rescindere* in Ciceronis oratione de domo 9,24.

Fridericus Augustus Wolfius cum sub ipsum huius saeculi initium [1]) Ciceronis orationem de domo simul cum tribus reliquis, quae post reditum habitae feruntur, argumentis ductus cum ex ipsis rebus tum ex genere dicendi petitis a Cicerone abiudicasset, per tria fere decennia viri tam praestantis opinio ita regnavit, ut vix quisquam dissentire auderet; postea re accuratius in disceptationem vocata ita per aliquod tempus aequo fere Marte ab utraque parte pugnatum est, ut originem Ciceronianam defenderent quidem viri egregii, in contraria vero parte non minor esset nominum auctoritas et doctrinae copia [2]). Denique hac nostra aetate, — si

---

[1]) M. Tulli Ciceronis quae vulgo feruntur orationes quatuor... recognovit Frid. Aug. Wolfius. Berol. 1801.

[2]) Atque huius quidem sententiae nunc patronum tanquam πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων nominasse sufficiat virum latinae linguae inter paucos gnarum Fridericum Haasium, qui in Adnotationibus ad Reisigii Scholas de Ling. Lat. habitas p. 561 aperte hanc orationem *declamationem* vocat, alio loco (p. 564) cum suspitionis significatione in hac sola oratione dicit exemplum reperiri locutionis *auctorem esse ad aliquam rem faciendam*, cum volgo dicatur *auctorem esse rei faciendae*. Idem vir egregius p. 663 adnotat, simili ratione in orationibus Philippicis compluribus locis Ciceronis verba in aliam plane formam ab inferioris aetatis declamatoribus redacta videri.

ulla est communis hominum doctorum opinionis divinatio, — in orationis certe de domo fide examinanda pax aliqua composita videtur, cum longe maior philologorum pars omissa dubitandi libidine ad vetustam illam fiduciam redierit nihilque magnopere, quod Ciceronis ingenio indignum sit, in illa oratione reperiri sibi persuaserit. Itaque verendum est, ne qui pacem tam belle compositam turbare rursus, qui navem vix in portum ex alti maris fluctibus et procellis deductam ad nova pericula evocare audeat, munus apud omnes ingratum, 'periculosae plenum opus aleae', suscepturus sit. At audendum tamen est, nam quod potest esse pacis beneficium, quae non ab omni parte tuta sit? Nam, ut libere dicam, omnino tota haec quaestio de origine orationis de domo nequaquam ea videtur, quae tam simplici et generali iudicio absolvi possit, continet enim permultas rerum minutarum quaestiones, quae cum primo adspectu faciles ad expediendum et haud magni fere momenti videantur, si accuratius inspicias gravissimae sunt eaque difficultate saeptae, ut in unaquaque diiudicanda peculiari plane et amplissimo apparatu opus sit, quem non sine magno molimine neque colligere neque disponere possis. Nam ut nunc mittam rerum ad ius, leges, rempublicam pertinentium difficultates, in genere dicendi examinando ut certa fiducia et sine ulla temeritatis reprehensione de singularum structurarum verborumque, quae dubia videantur, auctoritate et fide iudicemus, nonne accuratissime de Ciceronis usu et consuetudine ex ceterorum eius scriptorum comparatione constare oportebit, antequam quid vere Ciceronianum, quid non sit definire possimus?

In his ne quis nimium nos suspitionibus indulgere censeat, opus est in oratione de domo recte aestimanda iudicio inprimis cauto et circumspecto. Quamquam enim universum, quo conscripta est, dicendi genus Ciceronianum ubique fere colorem praebet, ita ut ipsum M. Tullium magna vi et eloquentia dicentem audire nobis videamur, tamen genuinis hic illic talia intermixta sunt, quae ipsa verborum forma et structurae genere ab Ciceronis oratione aliena sunt. Haec vitia quod ab nostratibus hucusque minus animadversa sunt, ipsius qui totam hanc quaestionem movit, F. A. Wolfii culpa quadam factum est, qui nimio castigandi quae Ciceronis non essent, studio captus totum hoc quaerendi genus suspectum ingratumque reddidit. Nam cum plerumque deteriorum codicum sordes pro fundamento lectionis habeat, vanas fere offensionum imagines magna virium contentione impugnat et falsarium deprehendere sibi videtur, ubi librariorum neglegentiam agnoscere debebat. Sed etiamsi concedendum erit modum haud dubie Wolfium excessisse et plurimos, qui

illi suspecti viderentur, locos meliorum codicum ope nunc sanatos et ab omni suspitione liberatos esse, tamen magnopere fallatur, qui quod in majore eorum locorum parte acciderit ad omnes transferat: sua enim unicuique est caussa et ratio ab reliquis plane diversa. Insunt igitur in hac oratione loci nonnulli, in quibus Wolfium acumen suum non fefellit, qui ita ipso dicendi genere a Ciceronis more differunt, ut interpolationis gravioris vestigia haud dubie prodant. Atque eorum quidem vitiorum, quibus in legendo tanquam pannis elegantissimae vesti assutis offendimur, non ea sane est vis, ut totam orationem a Cicerone abiudicare cogamur, sed cum documento sint, genuina Ciceronis verba aliquot locis ab imperitis graviter turbata et mutata esse, omnino fidem orationis infirmant. Hinc sane damni aliquid nascitur; nam si vel in uno solo loco certis argumentis scrupulum haerere demonstrari possit, haud iam eadem fiducia, quam ceteris orationibus tribuimus, praecipue in rebus ad antiquitates iuris publici pertinentibus, huius orationis testimoniis uti licebit.

Vero ne talium mendorum significationes, tanquam mali ominis vates, sine caussa iecisse tantum eaque suspitione hominum animos, ex diutinis curis vix sedatos, denuo novis dubitationibus temere percussisse videamur, unum nunc solum locum paullo accuratius tractare in animo est, qui structuram talem continet, quae tantum abest ut ab ipso Cicerone scripta esse possit, ut latina omnino ut sit jure verearis. Accedit quod in hac potissimum de domo oratione genere dicendi ornato, splendido, ad unguem polito se usum esse Cicero ipse quodammodo certiores nos facit; scribit enim Attico suo (ep. ad Att. 4,2,2): *acta res est accurate a nobis et, si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si nunquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit, itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest.* In tali igitur oratione cum iam offendi debeamus, si quid minus emendatum videatur, quanto suspectiora esse debebunt quae utrum latina sint necne dubitationem admittant. Sed tempus est ad ipsum locum accedere. Extant igitur in oratione de domo 9,24 haec verba: *Itane vero? tu p r o v i n c i a s consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit a senatu, sed etiam ut necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit, e a s lege Sempronia per senatum decretas r e s c i d i s t i, extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti non consulibus, sed reipublicae pestibus.* Hoc loco quod codd. Parisinus, Mediceus, Vaticanus *eas leges Sempronias* habent, solus Gemblacensis, quod ab omnibus editoribus receptum est, *eas lege Sempronia,* nullius momenti est; nam hanc lectionem

veram esse tam clare ex ipsa sententia apparet, ut nemo dubitare possit: apertissimum enim est non hoc dici, ipsas leges Sempronias, sed senatus decreta ex lege Sempronia de provinciis consularibus facta a Clodio infirmata esse. Res ipsa notissima est. Clodius Pisoni et Gabinio cum a senatu provincias accepissent, e quibus parum lucri sperare liceret, ea conditione ut sibi in Cicerone vexando liberam prorsus potestatem concederent, provinciarum commutandarum copiam fecit lege de ea re ad populum lata, qua ita consules usi sunt ut ex provinciis opulentissimas et ditissimas, Syriam Macedoniamque, sibi eligerent.

Eam igitur Clodii arrogantiam, qua senatus de provinciis consularibus decreta infirmavit, loco supra scripto auctor hac formula significat: *provincias consulares…, eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti.* Haec dictio *provincias decretas rescindere,* quae vel ei, qui paullo curiosius scriptorum antiquorum verba expendat, mirationem facere possit, fieri non potuit quin apud eos, qui data opera quae suspecta essent in oratione de domo quaererent, graviores turbas excitaret. Nec res Wolfium fugit, qui triumphans fere de falsario deprehenso haec annotavit: *Quid vero est 'provincias rescindere'? dicunt 'decretum de provinciis rescindere'. nempe id intelligi voluit auctor; verum an ita velle licuit per Latinae linguae consuetudinem? iam enim licebit latine 'rescindere templa, tecta, domos' etc. quo sensu 'rescinduntur acta, res iudicatae'.* Itaque Wolfius locutionem *provincias rescindere* latinam non iudicat. Respondit Wolfio Naegelsbachius, vir latini sermonis inprimis gnarus, acerrimus orationis de domo Ciceroni vindicandae defensor, qui in libro egregio de Stilo latino §. 30,2 p. 96 (editionis quintae Norimb. 1870) Wolfium magnopere errare dicit; illo enim loco non simpliciter coniungenda esse verba *provincias rescindere,* sed accedere participium perfecti passivi arctissime illud cum substantivo coniunctum, ut sit *provincias decretas rescindere.* Id vero maxime latinum esse notissimumque structurae genus offerre, in quo participium perfecti passivi vim habeat substantivi verbalis cum genetivo alterius substantivi coniuncti, velut apud Livium 21,1,5 *angebant virum Sicilia Sardiniaque amissae*, ut iactura Siciliae Sardiniaeque facta significetur, vel apud ipsum Ciceronem Phil. 9,3,7 *Antonius . . . auctorem senatus extinctum laete atque insolenter tulit,* cum in simili sententia M. Brutus substantivo verbali usus sit in Cic. epist. ad Brutum 2,3 *ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii.* In talibus locutionibus in praedicato ita aliquid pronuntiari, ut proprie id ad solam notionem participio expressam conveniat,

sed liberiore sensu ad substantivum quoque, quod cum participio coniunctum sit, simul transferatur; cum igitur illo loco dicatur *provincias decretas rescidisti,* intelligi decreta de provinciis a Clodio rescissa, ita ut Wolfii offensio, qui haeserit in structura *provincias rescindere,* ratione careat. Ac Naegelsbachii quidem auctoritatem plurimi nunc ita sequi videntur, ut in illa locutione nihil offensionis inesse statuant. Sed nisi omnia nos fallunt, potest profecto haec ipsa viri egregii argumentatio luculentissimo documento esse, quanta in hominum animis sit vis praeiudicatae opinionis, quamque periculosum sit, si quaestiones de rebus separatis et minutioribus, quae propria sua ratione et natura nituntur, confundantur cum quaestionibus generalibus latiusque patentibus. Nam Naegelsbschius nisi orationis de domo quovis pacto fidem et integritatem defendere omnesque suspitiones statim ab limine reicere in animum induxisset, procul dubio, qua erat sagacitate et prudentia, rem tam difficilem subtilemque non tam breviter dirimendam, sed amplius de ea quaerendum deliberandumque sibi putavisset. Nam unum certe apparet, eiusmodi exemplorum, in quibus a verbo sentiendi vel dicendi participium illud cum substantivo coniunctum pendet, qualia attulit Naegelsbachius, velut Phil. 9,3,7 *auctorem senatus extinctum laete atque insolenter tulit,* Liv. 9,18,4 *referre piget mutationem vestis et desideratas humi iacentium adulationes,* longe diversam rationem esse ab loco in oratione de domo; in illis enim ad id, quod participio exprimitur, praedicatum ita refertur, ut hominis vel affectus ex hac re ortus vel iudicium de eadem re indicetur sine ulla rei significatae mutatione, in hoc vero exemplo actione quadam extrinsecus inlata afficitur illa res et dissolvitur. Itaque illius structurae, quippe quae omni licentia careat, innumera fere sunt exempla proxime interdum ad structuram tritissimam accusativi qui vocatur cum infinitivo coniuncti accedentia, velut Liv. 40,35,4 *cum deditionem Celtiberiae confectamque provinciam nuntiassent,* 21,32,12 *ubi primum digressos tumulis montanos et laxatas sensit custodias:* huius locutionis num ullum omnino exemplum, quod geminum vere sit, afferri possit admodum etiam nunc in ambiguo est. [3])

---

[3]) Ea huius structurae forma, in qua participium pro substantivo verbali usurpatum et in Accusativo positum obiecti locum tenet, subtilissima quaedam discrimina notabilesque cautiones habet, quarum fines Naegelsbachius dissimilia miscendo turbavit. Nam praeter eas locutiones, qua rum praedicato vel iudicium vel affectus vel orationis aliqua forma indicatur, inveniuntur sane apud

Quae cum ita sint, quoniam hucusque haec res a viris doctissimis magis hariolationibus et ad probabilitatis quandam speciem tractata sit, quam data opera et subtili ratione, oritur iam haec quaestio, accurata consideratione satis digna, sitne reapse locutio illa in oratione de domo *provincias decretas rescindere* talis, ut aut Ciceronianae aetatis aut latina omnino videri possit.

Hanc quaestionem ut nunc non nostris quibusdam opinationibus ducti, sed accurata ratione et iusto ordine, sicut postulat grammaticae scientiae dignitas, diiudicemus, locutio illa non per se tantum spectanda, sed ita ad sua principia suumque quasi fontem revocanda erit, ut totum illud idioma, quod ex Grammaticorum definitione vulgo participium perfecti passivi pro nomine verbali positum vocatur, accuratius illustremus eiusque vim, usum, historiam exemplis allatis quasi oculorum conspectui subiciamus. Nam tum demum, quum omnia usus genera, omnemque illam subtilitatem, qua scriptores in hac structura varianda et excolenda usi sint, recte cognoverimus, sine ulla dubitatione quid in hac constructione licuerit, quid non, recte discernemus. Etenim tantum abest, ut in hac structura neglectis minutioribus et subtilioribus distinctionibus scriptores quidvis concessum sibi putaverint atque cum participiis illis pro substantivis verbalibus positis quaelibet praedicata coniunxerint, ut mirandum potius sit quo acumine et quam eleganti pulchri sensu, quae apta viderentur, receperint et coluerint, quae turpia et inficeta, reiecerint. Atque

---

Livium potissimum aliquot exempla, quae infra copiosius tractabimus, in quibus in praedicato actiones vel ex ipsa rerum natura vel ex hominum commercio petitae significantur. Talia sunt Liv. 21,11,13 *oppressi celeritate Hannibalis omiserunt mota arma,* et structura passiva 6,6,2 *de Latino Hernicoque bello mentio facta in senatu maioris belli cura sublata est;* deinde 5,21,1 *pestilentiam inopia frugum et volgatam utriusque mali famam anno insequente multiplex bellum excepit.* Verum haec tamen si accurate inspicias dissimilia sunt locutioni *provincias decretas rescindere;* nam *provincias* non potest per se solum pro obiecto esse verbo *rescindere;* in illis vero exemplis obiectum ita refertur ad verbum, ut etiamsi absit participium, sententia tamen fere plena nullaque ex parte manca videatur. Idem cadit in locum 28,27,6 *neque enim ea sunt commissa, quae volgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint.* Aliis locis verborum unde pendet accusativus significatio eiusmodi est, ut quamquam non sint quae proprie vocantur verba dicendi sentiendive, a quibus pendet structura accusativi cum infinitivo coniuncti, tamen proxime accedant ad horum verborum vim et naturam; velut haec Liv. 35,48,12 *exprobans non victoriam modo ... partam, sed etiam salutem, ipsumque et exercitum sua opera servatos;* 16,24,2 *ubi cum Syracusas Capuamque*

omnino tenendum est, id quod a nostri temporis philologis nondum eo, quo dignum est, studio curatum mihi videtur, in arte critica recte administranda maximi momenti esse quaestionem de grammaticarum structurarum historia et usu secundum tempora mutato.

Saepissime enim in locis suspectis ubi longis ambagibus ex incertarum opinionum verisimilitudine verbosae interpretum vel editorum controversiae exercentur, facillime res expediri posset, si de eius structurae, de qua dubitatur, finibus, vicissitudinibus, usu, si de scriptorum in hoc genere consuetudine et arte accuratius constaret. In hac re grammatici quoque libri plerumque peccant, nam in his de structurarum usu ita fere ad artificiosam quandam secundum genera et species divisionem omnia disponi solent, quasi eadem semper et absoluta earum forma omnibusque fere aetatibus communis fuerit, cum illa quaerendi ratio longe fructuosior et utilior sit, qua structurarum progressus et incrementa, fata et vicissitudines ita cognoscuntur, ut a quibus initiis profecta unaquaeque ad quem ambitum quodque vitae suae fastigium pervenerit intueamur. Itaque magis magisque arti grammaticae nova quaedam pulcherrima et utilissima disciplina accedere debet, quam structurarum historiam vocare licebit, cui hoc maxime propositum sit, ut

---

captam in fidem ... rerum secundarum ostentasset; 23,23,2 *neque probare se ... censoriam vim uni permissam, ... neque in sex menses datum imperium;* conf. 31,41,7. Deinde 3,17,3 *at vos veremini deos vestros ab hostibus captos;* 8,29,3 *ut pariter eam (rem) susceptam neglectamque timerent.* Structurae passivae exempla sunt 7,13,4 *sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa foede amissa obici nobis possent;* 8,13,1 *quo insignitius omissa res Aemilio consuli exprobraretur.* Duo sunt omnino loci, quos speciose in suam sententiam Naegelsbachius afferre poterat, qui fugisse videntur viri praestantissimi diligentiam. Alter hic est Liv. 38,39,13 *Rhodiis adfirmata quae data priore decreto erant, Lycia et Caria datae usque ad Maeandrum amnem:* sed hoc loco non virgula post *erant* ponenda est, quae est Weissenbornii et Hertzii opinio, sed gravius interpungendum cum Madvigio, qui haec verba: *Lycia* et q. s. pro novo et separato sententiae membro habet. Alter locus graviorem haud dubie corruptelam contraxit Liv. 5,11,2. Verba nunc adscribam ex M. Hauptii coniectura, cui assentitur Hertzius: *is, quod petissent patres quondam primo incepto repulsi, tamen (tribunos militum) expugnasse vociferans, legem Treboniam sublatam et cooptatos tribunos plebis ..., id fraude patriciorum, scelere ac proditione collegarum factum arguere.* Codices Mediceus et Parisinus exhibent: *patres quidam ... tamen tribunos militum expugnassent,* unde Alschefkius hanc verborum formam instauravit: *is quod petissent patres quamquam primo incepto repulsi, tamen tribunatum pl. expugnasse eos vociferans.* Verum ed hoc loco infra copiose agendum nobis erit.

singularum structurarum tanquam vitae aetates et decursum a prima iuventute ad ultimam senectutem adumbret. Atque tum demum plenam et vere dignam totius linguae imaginem proponere licebit, si non collectam quandam ex omnium aetatum speciminibus et symbolis farraginem componamus, sed disiunctis quae temporibus diversa sunt et suam cuique aetati indolem tribuendo ipsius naturae admirabilem progressum et ordinem imitari studeamus.

Ex hoc igitur tanto tamque uberi campo nunc minimi sane ambitus particulam, sed hanc ipsam fructuosissimam nobis secernere in animo est: nam primam quasi aetatem illius structurare, cui 'participii perf. passivi pro substantivo verbali positi' nomen grammatici imposuere, paullo accuratius tractabimus, eo maxime consilio, ut totius huius idiomatis natura et indole subtiliter perspecta certam inde normam ad loci illius ex oratione de domo fidem diiudicandam nobis paremus. Atque est sane haec structura si qua alia digna, quae accuratius cognoscatur; primum propter notabilem usus varietatem. Quum enim primaria sua vi certam quandam et simplicem cogitandi formam, qua attributum cum substantivo coniungitur, exprimat, ut solet in eadem re mentis impetus modo huc modo illuc moveri, paullatim ipso usu in varia genera et modos discessit, quorum unicuique sui fines suaque indoles est, a reliquis longe discreta. Deinde permagna est scriptorum in hoc idiomate ponendo pro cuiusque vel ingenio vel scribendi proposito diversitas, nam sunt qui eo mirum quantum delectentur, sunt qui fere prorsus ab eo abstineant. Et confert illud sane plurimum ad certum aliquem colorem orationi imponendum: nam cum in universum poeticum semper ornatum adferat, modo ita ponitur, ut vivam ipsarum rerum imaginem exprimat, velut cum attributum, ex abundanti positum, ipsum nihil novi adfert, sed rem illustrat et depingit: Liv. 6,8,7 *fusus imber proelium diremit*; 2,62,1 *prohibuit foeda tempestas cum grandine caelo deiecta;* modo rebus anima carentibus personam induit Liv. 7,3,2 *cum circus Tiberi superfuso irrigatus ludos impedisset;* 6,34,5 *eaque ipsa adfinitas haud spreta gratiam Fabio apud volgus quaesierat;* modo miram vim et brevitatem orationi adfert, cum nomen abstractum quod vocant ad res e vita ipsa petitas refertur, velut Liv. 45,42,9 *obsides datos crimen, non criminis defensionem esse;* 36,24,12 *ob eam ferociam maius victoribus gaudium traditus (Damocritus) fuit.* Itaque haec structura modo vim modo suavitatem orationi afferens conspicuum haud dubie locum in oratoria supellectili obtinet, ut si quis in ea administranda artem adhibeat, modo hoc modo illud pigmentum verbis ad-

ponere possit. Ac Cicero quidem, si amplitudinem scriptorum respicias[4]) parcissime ea usus est, nec studiosior in ea fuit vel Sallustius vel Caesar. Hos vero sequitur agmen scriptorum, qui quantum decoris et utilitatis in hoc idiomate esset optime perspexerunt, ita ut certatim fere in eo ponendo laudem sibi quaerant. Ex omnibus vero scriptoribus latinis nullus est tantus eius structurae amator quam T. Livius, qui eam a superioribus nondum satis excultam ita amplificavit, perpolivit, variavit, ut unicus eius patronus vocari possit. Neque unquam ex hac repetitione fastidium oritur: nam cum semper miro ingenii acumine ad nova rerum genera eam accommodet novamque ei speciem induat, non sine admiratione ex una radice tot flores procreari videmus. Qua in re non possum quin Kühnastii, viri doctissimi et de Livio meritissimi, iudicium mirer, qui in programmate bonae frugis plenissimo, quod de Livio a discipulis in gymnasiis legendo conscripsit, parte tertia (Marienwerder 1868) p. 41, ubi de huius structurae usu Liviano agit, apud Livium dicit nihil fere in hoc genere praeter frequentiam exemplorum notabile esse. At Livius non numero tantum exemplorum excellit, sed summa cum gratia tum varietate in hac figura dicendi utitur, ita ut vix ullum apud posteriores scriptores eius structurae genus inveniatur, cuius non Livius iam initia instituerit. Cum igitur omnis de hoc idiomate quaestio a Livio potissimum proficisci debeat, ita nunc eo tanquam signifero utemur, ut totam illam ubertatem, copiam, subtilitatem, ad quam hanc structuram quasi educavit, exemplis allatis et secundum genera dispositis illustremus. Hoc si factum erit, eadem fere opera et sine ullo negotio alterum illum fructum consequemur, ut certa nobis et aperta de loco illo in oratione de domo iudicandi norma parata sit.

Nam si in tanta similium locutionum copia aliquid inventum fuerit, quod dictioni *provincias decretas rescindere* praesidio esse possit, nihil repugnabimus ne patroni et defensores orationis hunc quoque locum Ciceroni vindicent. Sin autem — quem exitum huius quaestionis futurum esse iam nunc auguramur — nihil quod vel significatione vel forma simile sit afferri poterit, tum profecto quod structurae genus ne Livius quidem sibi concessum putavit, id tanto minus Ciceroni concessum fuisse statuemus atque totum illum locum talem ut nunc legitur a Cicerone scribi potuisse sine ulla haesitatione negabimus.

4) Exempla e Ciceronis scriptis petita conposuit Teipelius in Ephemeridibus Berolinensibus in Gymnasiorum utilitatem conscriptis anno 1858 p. 548.

Caput. II. Exponitur quae sit structurae, de qua agitur, vis ac potestas, quaeque eius varia sint genera et modi.

Structurae de qua agitur origo repetenda est ex innato quodam linguae latinae studio, quo orationem talem semper effingere conatur, ut notiones sola cogitatione perceptae repudientur, res ex ipsa vita petitae principem locum obtineant. Huius studii luculentum specimen hoc quoque idioma est; eius enim in universum vis et consilium hoc est, ut in praedicando pro rei alicuius qualitate res ipsa, cui qualitas inhaeret, substituatur, eaque ratione quod proprie de sola qualitate valet, ad rem ipsam referatur. Est autem haud dubie maior in oratione vigor si actio aliqua vel effectus de ipsa re praedicetur, quam si de eius rei qualitate. Itaque cum Livius dicit 27, 44, 5 *duo consules interfecti terrebant,* ubi ipsi consules ut terroris auctores describuntur, fortius et vigorosius est, quam si dixisset *caedes consulum,* quo dicendi genere aliis locis utitur, ut 36, 6, 1 *causas . . . eas quas ante dixi habentem, Brachyllae necem et bellum a Quinctio . . . illatum.* Simile discrimen est inter hos locos Liv. 33, 45, 4 *rem, quae maturata dilatave non ita magni momenti . . . esset*, ubi *dilatio rei* dici poterat, ut fecit 31, 6, 6 *quanto damno . . . dilatio ea belli futura esset.* Item 28, 9, 11 *consociatus triumphus . . . ei . . . gloriam auxit* conferendum cum 40, 5, 10 *erexeratque consociatio gentis eius animum regis,* ubi perbene et more suo dicere poterat *gens ea consociata erexerat.*

Iam vero qui paullo studiosius in huius structurae vim et naturam se insinuaverit, eum haudquaquam fugere potest, quantae rursus varietatis in se semina et elementa contineat. Nam cum in praedicando pro qualitate, quae rei alicui inhaeret, ipsa res substituitur, hoc nequaquam hanc vim habet, quasi subiectum illud, si per se solum omissa qualitate spectetur, semper et necessario a praedicato alienum et seiunctum esse debeat nulloque pacto eius capax sit: immo non solum fieri potest, ut subiecto iam suapte natura aliqua cum praedicato communio sit, sed haec eius structurae forma prima et vetustissima fuisse videtur. Nam minima sane in hoc genere audacia est, si subiectum iam per se solum praedicatum recipere possit. Velut in his apud Livium exemplis solo subiecto fere defungi scriptori licebat:

27,29,4 *hae litterae recitatae magnum luctum . . . fecerunt;* 27,5,14 *haec recitata a consule ita movere senatum;* 6,42,4 *fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem;* 1,55,6 *quae visa species arcem eam . . . fore portendebat*; 30,3,10 *haec relata Scipioni spem fecerant castra hostium . . . incendendi;* sed haud dubie eius rationis, quae inter subiectum et praedicatum intercedit, vis augetur quom qualitate adiecta modus indicatur, quo ex subiecto praedicatum originem capit.

Ab hoc lenissimo simplicissimoque dicendi genere plurimum tum audacia tum poetico colore distat ea huius structurae forma, in qua subiecto per se ipsi nulla prorsus cum praedicato communio est: tum igitur qualitas illa, de qua dictum est praedicatum, ita cum subiecto coalescit, ut unam plane notionem efficiant idque quod in altero utro valeat, in utrumque cadere necesse sit. Huius generis luculentissimum exemplum hoc est, cum subiectum, quia notione et significatu prorsus contrarium est praedicato, qualitatem adsciscit negativa vi praeditam, ut ad praedicatum accommodari possit; qualia sunt apud Livium 28,11,6 *terruit animos hominum ignis in aede Vestae extinctus;* 44,11,8 *parietes fornicum perfossi urbem patefecerunt;* 32,23,9 *hos desperata salus ad rabiem magis quam audaciam accendebat;* 27,8,14 *nihil eae ductae ex insula legiones minuerunt . . . eius provinciae praesidium.* Non minorem audaciam illud dicendi genus habet, in quo tantopere subiectum et praedicatum differunt, ut ne ad eandem quidem notionum classem pertineant, cum praedicatum notio, quam dicunt, abstracta sit, subiectum hominis vel unius vel complurium significationem exhibeat. Eius generis sunt haec apud Livium: 2,20,2 *ut, cuius familiae decus eiecti reges erant, eiusdem interfecti forent;* 27,9,1 *transportati milites in Siciliam . . . prope magni motus caussa fuere;* 23,9,8 *maximum vinculum erant trecenti equites, nobilissimus quisque Campanorum, in praesidia Sicularum urbium delecti . . . ac missi;* conf. quae supra p. 10 attulimus 45,42,9 et 36,24,12. Huius igitur audaciae signifer et dux posterioribus scriptoribus Livius fuit, nam a Ciceronis Sallustii Caesaris usu haec prorsus aliena esse recte animadvertit Teipelius in Ephemeridibus Berolinensibus in Gymnasiorum utilitatem conscriptis anno 1858 p. 548. Elegantissime hac figura dicendi Tacitus utitur Ann. 1,8 *cum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur.*

Itaque cum his duobus quasi terminis omnis huius structurae vita et progressus contineatur, altero, in quo subiectum iam per se solum sufficit ad recipiendum praedicatum, altero in quo subiecto si per se spectetur nulla cum praedicato com-

munio est, facile apparet infinitam quandam inter utrumque usus varietatem interiectam esse, in qua vel plus vel minus audaciae sit pro ea, quae subiecto cum praedicato intercedit, affinitate et communione. Atque in his exemplis maxume elucet totius structurae consilium et finis: nam summo semper studio lingua enititur, ut pro qualitate rem e vita petitam substituat. Nascitur ex hac re hoc commodum, quod si in actione, quae praedicato exprimitur, voluntatis vel studii significatio insit, res illa, etiamsi anima careat, tamen facile personae speciem assumit, quo artificio haud dubie alacritas orationi et gratus quidam vigor adicitur, velut Liv. 23,19,4 *Marcellum . . . Volturnus amnis inflatus aquis et preces Nolanorum atque Acerranorum tenebant;* 5,29,4 *nocte proditione oppidum captum liberam . . . fugam dederat;* 34,24,3 *mare interiectum non tuetur nos;* 37,54,13 *terra mutata mutavit . . . mores;* 33,8,1 *laetior res quam pro successu nuntiata . . . (regem) perpulit, ut . . .* Itaque rectissime Kühnastius in programmate s. l. p. 41 dicit primarium huius structurae fontem personificationis studium fuisse, quo sane mirum quantum Livius delectatur. Inest igitur in hac dicendi ratione magnum ad orationem ornandam adiumentum: attamen longe plurimum laudis et elegantiae in hac structura tum demum lingua latina sibi adepta videtur, si in qualitatis locum non res solum personae specie induta, sed vere hominis persona substitui possit. Nam hac orationis forma inducta actio in praedicato posita eum in modum corroboratur et extollitur, ut ad simplicem actus vel motus significationem consilii et voluntatis notio accedat. His locutionibus cuivis apparet quantum roboris et ponderis insit. Sic apud Sallustium Cat. 48,9 *ne eum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione deprehensi terrerent.* Cicero in Pis. 35,85 *dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socii nefario bello lacessiti . . . tantam efficerent vastitatem.* Livius 6,2,9 *tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat . . .;* 45,39,7 *quos Syphax rex captus . . . concursus fecerit, plerique meminimus;* 34,5,13 *credibile indicium Thraso nominatus fecit.* Audaciora, quia notio auctoris in actione praedicati magis premitur, habet Tacitus Ann. 1, 42 *neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat;* 1,16 *mutatus princeps licentiam turbarum et . . . spem praemiorum ostendebat;* 3,50 *(Lutorius,) qui neque servatus in periculum rei publicae, neque interfectus in exemplum ibit.*

Cum igitur tot variae rationes suam quodammodo speciem huic structurae immiscere possint, eximia sane oritur formarum eius multitudo et varietas prout

aut arctior aut laxior subiecti cum praedicato communio est vel prout personae vis et notio aut in subiecto magis aut in praedicato elucet aut deest omnino. Itaque primo sane adspectu opus difficile videatur si in tanta varietate, cuius tam subtiles fines, tam incerti transitus sint, certa quaedam genera constituere universamque illam materiam per suas classes disponere velis: sed accuratius rem intuenti aliqua tamen via dividendi et ordinandi ex praedicatorum potissimum discrimine aperitur. Sunt enim quaedam praedicatorum genera, ad quae quasi naturali quodam impulsu haec structura impellitur, cum in aliis minus frequens sit. Atque in illis quidem primum locum obtinent eae locutiones, quibus animi affectus et perturbationes exprimuntur; cuius rei haec caussa est quod animi concitationes illae vehementiores et magis ad vitam expressae videntur, si a re suo quodam naturali vigore et robore praedita repetantur, quam si a qualitate, quae per se ipsa nusquam existit, sed alii semper rei inhaeret. Sunt igitur talia admodum in deliciis scriptoribus, ut apud Livium 37,24,3 *maxime exterruit hepteris regia a multo minore Rhodia nave uno ictu demersa;* 26,38,1 *Capua pertinacius oppugnata, quam defensa... multorum populorum animos averterat;* 31,14,5 *animos faciebat... foedus ictum cum Antiocho divisaeque iam cum eo Aegypti opes;* 61,62,11 *haec procurata votaque magna ex parte levaverant religione animos.*

Deinde magnus quoque eorum praedicatorum numerus est, quibus notio efficiendi, procreandi, caussae omnino inest, velut Liv. 3,25,4 *hoc intervalli datum res tranquillas in urbe fecit;* 6,4,5 *dies deinde praestituta capitalisque poena... singulos oboedientes fecit;* 9,43,12 *clamor in stativa perlatus, dein conspectus procul pulvis tumultum... in castris fecit;* 6,27,9 *merces seditionis proposita confestim seditionem excitavit.* Huc accedunt eae locutiones, quae demonstrandi declarandique vim habent, ut 21,52,1 *quidquid Romanarum virium erat Hannibali oppositum... satis declarabat...;* 28,41,14 *pater patruusque intra triginta dies caesi documento sint;* 28,39,17 *et dirutum et restitutum Saguntum fidei... servatae documentum omnibus gentibus fore.* Sequitur deinde magna et multiplex eorum praedicatorum turba, quae motum aliquem et mutationem vel in hominum vita vel in rerum natura exprimunt. Atque hoc quidem genus quam late pateat quantamque locutionum varietatem contineat facile apparet, cum scriptores, qui paullo audaciores in dicendo sint, ipsarum fere rerum varietatem in hoc dicendi genere imitati sint et modo hinc modo illinc quae commoda sibi viderentur delibaverint; velut Liv. 24,4,1

omnia mutaverat mors Hieronis regnumque ad Hieronymum . . . translatum; 24,21,3 *libertatis nomen crebro usurpatum, spes facta . . . largitionis et relata tyranni foeda scelera . . . adeo mutavere animos;* 27,43,3 *metus tormentorum admotus fateri vera coegit;* 37,54,12 *quarum (terrarum) una quaelibet regi adiecta multiplicare regnum potest, omnes vero datae maximis eum regibus aequare;* 28,24,1 *Scipio gravi morbo implicitus . . . provinciam omnem et maxime longinqua eius turbavit.*

Disseruimus hucusque de ea huius idiomatis forma, in qua participium perf. passivi cum substantivo coniunctum in nominativo casu positum subiecti in enuntiatione locum sibi vindicat. Atque obtinet sane in usu scriptorum haec huius structurae species tantopere inter sui similes principatum, ut suo splendore suaque frequentia illarum memoriam quodammodo obscuraverit. Sed habent tamen hae quoque suas quasdam subtilitates suamque dignitatem, ita ut qui plenam et integram eius structurae imaginem adumbrare velit, ne haec quidem genera neglegere possit.

Primum igitur consideranda est ea species, in qua participium cum substantivo coniunctum in casu aliquo obliquo, et eo quidem, qui a verbo pendeat, positum est. Est autem lingua latina ea facilitate, ut omnes casus obliqui ad hanc structuram accommodentur. In his principem rursus locum favore et studio scriptorum haud dubie obtinet Accusativus, nec mirum est in ea structura, quae subiecti loco posita tam accepta scriptoribus tantaque arte ab iis culta fuerit, etiam usum pro obiecto linguae placuisse. Itaque inde quoque uberem variarum locutionum copiam procreari videmus; exempla sint Liv. 4,26,10 *proditum summi imperii ius datumque sub iugum . . . consulatum memorantes,* quam structuram pro accusativo quem vocant cnm infinitivo non habendam esse hic locus ostendit: Liv. 9,69,10 *regis memorata caedis et invecta corpore patris nefando vehiculo filia;* deinde 33,4,1 *acceptae . . . cladi ter pulsos Romanos opponebat;* 7,30,15 *adde huc populationem agrorum, praedas hominum atque pecudum actas, . . . omnia ferro ignique vastata;* 2,36,6 *cum ivsa atque audita et obversatum totiens somno Jovem . . . exposuisset.* Verum in in accusativo longe arctiores, quam in nominativo fines lingua latina sibi constituit; nam cum in nominativo ea sit huius structurae libertas, ut etiamsi nulla substantivo cum praedicato communio intercedat, tamen huic structurae locus sit, in Accusativo tum solum admittitur, si substantivum quod pro obiecto est iam per se aliquam cum verbo praedicativo communionem habeat. Miretur hoc aliquis;

sed accidit hoc saepius in linguarum historia, ut cum duas structuras pari iure formare et effingere per leges linguae generales liceat, alteram tamen illa repudiet et reiciat, alteram probet et excolat, nulla certa vel aperta caussa permota, sed arbitrii cuiusdam inexplicabilis et fortuiti impulsu ducta. Erit autem infra nobis uberius copiosiusque de tota hac re exponendum [5].

G e n e t i v u s a verbo praedicativo pendens exiguum tantummodo usum in hac structura habet, cuius rei caussa facilis est ad intelligendum; non multa enim sunt

---

[5] Fert ita institutae a nobis quaestionis ratio, ut eius legis, quam supra proposuimus quamque certissimam esse accurata quaestione cognovimus, plenam indubitatamque demonstrationem, quae omnium exemplorum enumeratione continetur, infra demum exhibere possimus. At sunt etiam praeter eos locos, quos supra in Annot. 4 protulimus duo loci, quorum ea est natura, ut primo adspectu legem nostram infirmare videantur, si accuratius inspicias vim eius ac potestatem confirment. Qui ne nimis diu eorum lectorum, qui minus fortasse in his rebus habitant, animos sollicitos habeant vel, donec eo perventum fuerit, graviores dubitationes pariant, iam nunc verbo commemorandi explicandique sunt. Alter locus est apud Ciceronem Tusc. 1,12,27 *e caerimoniis sepulcrorum ... quas maxumis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus ...* In hac locutione *caerimonias violatas inexpiabili religione sancire* cum *sancire* vocabulum significationem habeat *puniendi* et *castigandi,* facile apparet hoc certe significatu id verbum cum sola *caerimonias* notione sine participio coniungi non posse; itaque in hoc exemplo refelli videtur quod supra pro certo adfirmavimus, accusativum obiecti in hac structura non admitti, nisi ubi substantivum iam per se solum sine participio, si cum verbo praedicativo copuletur, plenam quandam sententiam efficiat. Sed accuratius intuentibus res alia videbitur et quod exemplum primo adspectu contrarium et adversum videbatur mox vim gravissimi pro nostra regula testimonii accipit. Nam praeter significationem *puniendi* verbum *sancire* alteram habet, magis etiam sibi propriam et nativam, *confirmandi constituendique,* qua optime cum voce caerimonias coniungi potest. Jam vero hanc significationem certissimum est, etiamsi in illa locutione non aperte expressa sit, tamen et tacitam sentiri et viam quodammodo illi structurae muniisse. Nam nunquam profecto hoc genere dicendi Cicero usus esset, nisi duplex illa in verbo *sancire* significatio inesset, quarum altera certe ad notionem *caerimonias* optime convenit. Eadem plane res est in loco Caesaris de bello Gall. 1,4 *damnatum poena sequi opertebat, ut igni cremaretur.* In hoc exemplo *sequi* temporalem significationem habet, hac sententia: *si quis damnatus esset, poena sequebatur, ut...* Sed idem verbum hoc loco motum quoque sequendi significare potest, ita ut ad hominis, qui pro obiecto est, notionem referatur, conf. Liv. 7,29,2 *Samnitium bellum ancipiti Marte gestum Pyrrhus hostis, Pyrrhum Poeni secuti.* Quamobrem n o n a d s o l u m a t t r i b u t u m, sed etiam ad eam rem personamve, cui attributum inhaeret, in his exemplis verbum praedicativum refertur.

verba, quae cum genetivo coniunguntur; velut Liv. 10,31,14 *adeo ne infeliciter quidem defensae libertatis taedebat;* 23,10,10 *ne . . . senatum quoque paeniteret dediti principis;* 3,48,9 *Icili vox tota tribuniciae potestatis ereptae erat*; 38,56,8 *cum L. Scipio et accusatus et damnatus sit pecuniae captae ab rege.* Eadem paucitas et raritas quam in genetivo observavimus, id quod iure mireris, etiam in Dativum cadit cum verbo coniunctum; nam cum per se ipse is casus facillime et frequentissime cum verbis consocietur, in hac structura parcissime eo scriptores usi sunt, ut pauca tantummodo earum locutionum exempla suppetant, velut Liv. 6,29,2 *adeste dii . . . expetite poenas debitas simul vobis violatis nobisque per numen vestrum deceptis*; 26,37,6 *Capuae amissae Tarentum captum aequabant*; cf. 28,4,2; 33,4,1.

Sequitur Ablativus casus, qui non eam solum ob caussam accuratiore cognitione dignus est, quod in eo rursus linguae fecunditas egregie excellit, sed etiam quod haec huius structurae forma, quae ablativum sibi vindicat, si ex temporum ordine huius idiomatis incrementa et progressus consideres, vetustissima est. Nam primae et quasi iuvenili huius structurae aetati, quam ex Plauto maxime et Terentio novimus, cum in illis scriptoribus eius formae, quae nominativum habet, vixdum prima initia compareant, ablativi usus iam fere familiaris est. Etenim quamquam is tunc casus nondum in magnam et copiosam variarum locutionum ubertatem succreverat, sed certis paucisque tantummodo formulis adstrictus erat, sunt tamen eae ipsae haud dubie adpropinquantis maturitatis iam praenuntiae. Locutiones *opus est* et *usus est* cum ablativo participii perf. pass. coniunctae in vitae quotidianae sermone tum frequentissimae fuerunt, velut Trucul. 2,6,42 *Multo ecastor magis oppletis tritici opust granariis;* Curcul. 322 ed. Fleckeisen *nam illis* (reliquiis) *conventis sane opus est meis dentibus;* Curcul. 302 *ita res subitast: celeriter mihi homine conventost opus.* Persa 584 ed. Ritschl *si tibi vaenisse est opus, Mihi quoque emptast;* Rudens 398 ed. Fl. *iam istoc magis usus factost, Ut eam intro consolerque eam.* Locutionis *opus est* haec structura Livii temporibus fere intermortua videtur; paucissima eius sunt exempla: Liv. 34,61,3 *edit nomina eorum, quibus conventis opus esset;* 7,5,3 *opus esse sibi domino eius convento;* conf. etiam 44,33,7 *illum . . . centurioni dicere, quid opus facto sit.* Formula vero *usus est* his temporibus iam prorsus obsoleta est. Verum in eius utriusque locum mox laetissima variarum locutionum, quae ablativum habent, propago succrescit: Liv. 1,7,1 *tempore illi praecepto, at hi numero avium regnum trahebant;* 1,46,1 *conciliata prius voluntate plebis agro*

capto ex hostibus viritim diviso; 22,27,1 *tum ... non Hannibale magis victo ab se, quam Q. Fabio gloriari;* 42,46,8 *Thebani ... nonnihil et damnatis principibus et restitutis exulibus succensebant Romanis;* 31,7,4 *(non) dubium est, quin Philippum ... misso cum classe Laevino ... continuerimus.*

Consideravimus in superioribus eas huius structurae formas, in quibus participium cum substantivo coniunctum aut subiectum enuntiationis est, aut a verbo praedicativo pendet sive locum obtinens obiecti sive alius cuiusdam, quo verbi actio expletur, notionis. Atque in his quidem locutionibus omnibus, si ab horridioribus illis vetustissimae aetatis reliquiis discedas, facile unusquisque concedet miram suavitatis et elegantiae delectationem inesse, in quibusdam etiam florentem quandam pulchritudinem, qua felicissimo artificio scriptores ad orationem ornandam usi sunt. Sed sunt praeter haec quaedam adhuc huius idiomatis genera, quae quamquam et ipsa haud dubie vim et nervos orationi conciliant, tamen et propius accedunt ad genus dicendi vulgare et magis communes diversorum scriptorum sunt et aequabiliore studio ab omnibus frequentantur. Eorum generum prius illud est, in quo genetivus participii cum substantivo coniuncti pendet ab nomine substantivo; velut Liv. 21,46,10 *servati consulis decus;* 28,41,3 *penes Lutatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit;* 28,41,8 *palmam belli Punici patrati petis;* 30,40,7 *finiti tanti belli se consule gloriam petens.* Sed in hoc quoque genere maioris cuiusdam audaciae dux et auctor Livius est, ab itinere trito et vulgari altius ille libenter evolans. Talia sunt: 21,2,6 *ob iram interfecit ab eo domini obtruncati;* 21,63,7 *conscientia spretorum (deorum) ... fugisse;* 27,8,5 *caussam inaugurari coacti flaminis libens reticuissem;* 30,16,2 *post famam capti Syphacis;* 37,31,5 *cum confessionem concessi maris ultimam hosti expressisset;* 40,7,6 *speculatoris ab se pulsati ultionem metuebant;* 42,55,4 *gaudium periculosi saltus superati;* 44,30,11 *legatorum violatorum iniuria accensus.*

Alterum genus id est, in quo participii pro substantivo verbali positi structura pendet a praepositione, ut Liv. 6,1,1 *ab condita urbe ad captam eandem;* 5,25,7 *ante conceptum votum;* 23,41,4 *super adflictas res necem quoque filii audivit;* 21,41,13 *pro his inpertitis...oppugnatum patriam nostram veniunt.* Sed in hoc quoque genere vetustiorum scriptorum consuetudinem et verecundiam quandam Livius perrupit. Nam, uti rectissime iam a viris doctis observatum est, Cicero, Caesar, Sallustius hanc sibi in hac structura legem scripserunt, ut reliquis praepositionibus,

quibus omnino locus est in hac constructione, utantur, ab his tribus *ob, propter, ab* (significatione causali) constantissime abstineant. Livius primus hoc discrimen sustulit et hos quoque quasi exules eius structurae iure ac civitate donavit, velut: 9,14,13 *apud infensos ob interpellatam dulcedinem irae;* 23,20,4 *ob separata ab se consilia oppugnabant*; 22,36,6 *libros adire . . . propter territos vulgo homines novis prodigiis;* 25,15,7 *propter obsides nuper interfectos*; 10,5,2 *ira ab accepta nuper clade stimulabat*; 23,36,2 *ab re bene gesta insolenter laetum.*

Ultimo denique loco illud huius idiomatis genus commemorandum erit, in quo participium perf. passivi per se solum sine substantivo pro substantivo verbali positum est; cuius structurae apud Ciceronem prima tantum initia, apud Livium summam iam abundantiam invenimus; velut Cicero orat. partit. 33,114 *haec proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium . . . , ut deprehensum aliquid, . . . ut haesitatum, ut titubatum, . . . ut scriptum aut obsignatum aut depositum quidpiam*; conf. Naegelsbachium de Stilo lat. p. 97. Deinde Livius 1,53,1 *ni degeneratum in aliis huic quoque decori offecisset*; 4,16,4 *refellit falsum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum*; 7,22,1 *temptatum domi per dictatorem, ut ambo patricii consules crearentur, rem ad interregnum perduxit*; 34,24,6 *cum ordine omnia edocuisset . . . , auxiliares instructos ad caedem praetorum principumque aliorum, bonaque eorum praedae futura interfectoribus pronuntiatum, . . . coniurationem ante oculos posuit.*

(Continuabitur.)